



S Columbanus cum Gallo, Eustasio, & Agilo
 magno zelo ducti patriam suam Hiberniam
 & Angliam reliquerunt (in quibus tum Christia-
 na religio florebat) (& ad Rhenēses Euangeliū præ-
 dicandi gratia profecti sunt, anno Christi 566. ut Si-
 gebertus testatur. Erat aut̄ tum Sigebertus Austra-
 liorū rex. Itaq; eius uenia impetrata Sueuis & Ger-
 manis, qui Gallis proximi erant, magna cōstantia
 Christū prædicarūt, & ecclesiā fundarūt. Cum aut̄
 p̄ multos annos passim ad Rhenū multos ad Chri-
 sti religionē adduxissent, Colūbanus & Gallus ad
 lacum Brigantīnum profecti, et per trienniū in op-
 pido Bregentz cōmorati, idolorū cultū destruxe-
 rūt. Id uerò idololatræ ægre ferebāt, atq; Colūbanū maximo odio p̄sequeban-
 tur. p̄pterea is Gallo eā regionē cōmittens, ulterius p̄fectus ad Boios puenit,
 atq; in ea regiōe ardētī animo denuò Christū crucifixū hominib, annūtiavit.